

ctionem, ad quam Rhetorica futurum Oratorem, Ethica virum prudentem, S. Scriptura non rarò hominem fidelem hortatur & invitatur, non humanarum virium mensuram connotare, sed officii regulam præscribere, à quâ regulâ & ideâ archetypâ quia adeo deficiunt actiones nostræ, ut æquare eam non possint, nedum superare, hinc maximè confirmatur nostra sententia, dicentium, *lumine naturali perspicuum esse ideas* (ectypas scilicet seu consequentes) *in mente nostra esse veluti quasdam imagines, quæ possunt quidem facile deficere à perfectione rerum à quibus sunt desumptæ* (quæ sunt instar archetyporum & idearum antecedentium) *non autem quicquam majus aut perfectius continere*, ut legitur Med. tertia. Sicut enim se habent ideæ Oratoris, Viri prudentis, Christiani hominis perfectæ, ad Oratorem, prudentem, Christianum apud nos existentem: ita se habent archetypa ad nostras ideas ectypas, quæ omnem realitatem & perfectionem, quam repræsentant, in illis archetypis fundamentaliter existere (utrùm formaliter, an eminenter, perinde est) præsupponunt omnino, ut toties inculcatum.

6. Deinde